

non solum non exaudiri me apud te, verum etiam nullum pro Constanciense ecclesia tibi devotissima, eiusque electo responsum nuper meruisse; cuius me causam in solo respectu amicitie, immo evidenti ecclesie necessitate suscepisse, tot religiosorum virorum huius ecclesie, quos non exaudiri, ut gratia tua dixerim, nefas est, quas habes vel subito habebis testificantur literę. Scimus enim eundem electum, qui nunc se omnimodis in tuo arbitrio ponit, non arroganter electioni concessisse, sed si quid in hac re in illa inaudita delictum est rerum varietate, quasi in extasi ecclesia adhuc obstupescente, nihilque retractante, variantibus quoque decretis tuis, tunc pro rerum necessitate Romane auctoritatis cauterio non dubitamus curari posse. Huc accedit, quod ad resistendum illi qui eandem ecclesiam prius adulterare presumpsit¹⁾, et adhuc oportunitatem invadendi querit, nullum tam viribus, quam religionis gratia, aptiorem eligere potuimus. Dicturientem plura, nimia quamvis sentenciosa epistolarum tuarum brevitās prohibet. Hoc solum, pater omnium dulcissime, provoluti pedibus tuis lacrimosis precibus supplicamus, ut eandem ecclesiam obitu tanti patris desolatam, in hac necessitate exauditam pro concessa tibi septuagies septies misericordia consoleris.

Adhuc adiciam ut loquar affabilitati tuę, ut quos septentrionales vel qualiter suas partes elegisse et tam longe, ut assequi eos non possis, discessisse, nuper dixeris, humiliter supplicantibus²⁾ rescribas. Nullas partes videmus; omnes tuam obedientiam uno ore profitentur. Fugientes si non sequeris, cum legationem tuam nullam acceperint, assequi quomodo poteris? Videas igitur, mi pater, ne dragma perdita in domo, vel ovis non requisita in deserto, ut pace tua in quem hominis iudicium non cadit dixerim, tua non pereat negligentia.

6.

Bischof Wido von Chur beklagt die Härte des päpstlichen Urtheils; er ersucht Paschal II. um genaue Verhaltungsmassregeln in der Investiturfrage. (1112).

Beatissimo P(ascali) pape W(ido) Curiensis quicquid subiectus esse potest.

Acceptis nuper litteris tuis super brevitate dulciloquii tui dolemus, sententiarum sanctitatis tuę gravitatem nihilominus ut nunc est abhorremus. Largioribus igitur et voluntatem tuam plenius continentibus scriptis refici humiliter desideramus. De sentiētiis, quę antequam deus te, ut quem vult filium mirabiliter castigasset et³⁾ mirabilius liberasset, decreterent, sunt,

1) Arnold, kaiserlicher Gegenbischof 1086 – 1103, cc. 1103 von Paschal excommunicirt. Jaffé, Reg. 4448. 2) supplicanti Hs. 2) et fehlt Hs.